...gell.

...ssimis.

1777 17 Julii

Decus literarum eruditi sudoris pretio XI. in AA. LL. et Philosophia Licentiatorum.

DECUS LITERARUM
Eruditi ſudoris pretiô
XI. VV. DD. in AA. LL. &
Philoſophia Licentiatorum,
cum iidem
Poſt obtentam
à
MAGNIFICO PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO
D. M. ANTONIO
ZOLĘDZIOWSKI
U. J. S. Theologiæ DOCTORE & PROFESSORE, Cracovienſi CANONICO, Viſlicenſi Scholaſtico, Facultatum, Theologicæ, Medicæ & Philoſophicæ PROCANCELLARIO, Studii Generalis Univerſitatis Cracovienſis Ampliſſimo
RECTORE.
Ad Magiſterii in AA. Licentiam
Tandem de munere Philoſophicæ Facultatis Lauream Doctoralem capeſſerent.
Annô Æræ Vulgaris 1777. *Die* 17. *Julii.*
PARTUM
CRACOVIÆ
Typis Seminarii Academico-Diæcesani

(+)

ODE VOTIVA I

Ad Cineres Cantianos.

Vos Cantiani conſcia Spiritûs
O Oſsa! teſtes ô Cineres ſacri
Virtutis æternùm Togatæ,
Exuviæq́; Animi beati.

Vobis Tonantis ſtrata Cubilia
Sunt ſacra: Veſter vos citat Jncola
Jn portionem Hæreditatis,
O ſocii comitesq́; luctæ!

Vos Jlla quondam Mens aluit, DEI
Quæ tota liquens lumine, gaudia
Partita vobiſcum cruceſqué,
Servitiô bene functa veſtrô.

Hæc nunc theatro Regis in aureo
Defixa Regum, jam Calicem bibit
Æternitatis: vos reliquit
Jntereà Lechicæ levamen

Jn dulce Genti, dum Cinis in Throno
Fulgebit Agni pondere luminis
Oppreſsus ubertim fluentis,
Perpetuô fruiturus Ævô.

Vos Vasa honoris CANTIUS induet,
Geſtitque jungi, purpùream parans
Vobis ſtolam, Vivi cruento
Jmbre DEI madidamqué rore.

Sentitis? alto proruit impetu
Jllic Fidelis Gens, ubi CANTIO
Mirantur & Turres novæ se *
Surgere mole ſuperba in altum.

Jbi profeſsam congeminat precem
Ritu pudici turturis ingemens
Dulcesqué ſuſpirare gaudet
Pectoribûs querulîs amores.

Audi-

* *Erigebantur eodem Anno Turres in Ædibus D. Annæ, impendio Perilluſtris & Admodum Reverendi D. D. M. JOANNIS RUGALSKI S. Theologiæ Doctoris & Profeſsoris.*

Auditis? illic in lacrymabiles
Se solvit æstus Civis, & anxius
Vitæ colonus, tristi egestas
Ore, situ, laceroqué crine,

Sacerqué Mystes, Ætheri & inferis
Qui jura ponit, thure calentibus
Admotus Aris, fœderatum
Pro populo peragens Ministrum:

Favete: vobis dividimus pia
Nos Grex tenellus pectoris oscula,
Et Sanctitati vota vestræ
Mille damus, sacra, thura mille.

Vobis in Ara pectoris, ignibûs
Jncensam amoris, laudis odoribûs
Piîs fragrantem victimam cultûs
famulæqué precis cremamus.

ODE

❧(✠)❧

ODE II.

Ad MAGNIFICUM, PERILLUSTREM & REVERENDISSIMUM DOMINUM D.

M. ANTONIUM ZOŁĘDZIOWSKI

J. U. & S. Th. DOCTOREM & PROFESSOREM, Cracoviensem CANONICUM, Facultatum: Theologicæ, Medicæ & Philosophicæ PRO-CANCELLARIUM, Studii Generalis Universitatis Cracoviensis Amplissimum

RECTOREM,

In perennem debitæ venerationis memoriam.

O si! docta quibus Melpomene potens
Incendit liquidîs labra caloribûs
Vatum quis melior pectora torserit
Nil mortale sonantia;

Aut si, jura catæ qui Sapientiæ
Commisere lyræ jugè Nepotibus
Convictura suis, nos genii reos
Damnâssent vitiô sui;

Si nos

Si nos, qui momentum ære perennius
Erexere ſuo non cineri modò
Aſt olli, cui fama incubat extera
Plectri dote beaverint;

Eſset, Magne Patrum, qui tua pervicax
Æternare ſtudens lumina gloriæ
Jn te proſpiceret vivere: mutuum
Sumens alter ab altero.

Jres arte novis cultibûs insolens
Faſtos, perqué ſtylos, perqué Virûm labra:
Jres, quà peragrat Sol habitabiles
Oras: qua calet & tepet.

Vultu purpureus, lege ſupercilâ
Cenſor, lynx animô, fœtus Apolline
Hæreres gremiô, lumina verberans
Aurô in pectore pactili.

Mi-

Miraretur uterqué Axis, adultero
Non Te, ſed vegetum congenitô ferè
Succô Pieridum, pergere ſeculi
Callem ſeminis aurei.

Ferret fama Virum poſthuma: tolleret
Huc illuc calamis percrepitantibûs
Et ſolvi timidis, munera poſteræ
Divisura Propagini.

At fruſtra paries nunc quatitur piger:
Lentis fortè gelu ſtagnat in artubus
Vatis; luserit is si quid, avara famæ
Hoc prælusere ſecula

Fallor: nonne! Tui Pectoris incola
Phæbus, fatidicum sic ciet entheum
ANTONI, Facies & color, isqué sit
Ut ſangvis Tibi, quem tulit

Præ se Musa salis plenior Attici?
Non frontem Latium laureâ Apollinis
Cinxit? non ſtupuit? non coluit? Cremat
Virtus thus sibi gloriæ.

Fallor: quæ proprio fulgure candicat
Virtus, arte litis fuſca nitoribûs
Flagratura magìs? Non opus eſt face
Soli, fœnerat hic ſuam.

Jbis dulce Caput, laudis apex jam humi
Serpit: Theologus ſudor adoream
Excoxiſse Tibi morte ſuperſtitem
Gaudet: jam Sapientia

Conjurata Tuis ſpondet honoribus
Famam mancipium Palladis usibus
Victurum: moritur qui in tabulis Deûm
Exhæres patrimonii

Sudati

Sudati legitur. Quomodo? Prodiga
Mens lucis, Superis Dextera ſemi-
nans
Divinîs calidum Pectus amoribûs,
Non ſunt fœdera victimæ?

Quid? quæsita Tuis pulchra laboribûs
Divi vigiliîs paſti Academicîs
Laus, mercata Tibi nonné silentii
Vocem plausibûs uſpiam

Ludentem? Huc properet turma Qui-
ritium
Narratura ſacros Pectoris ambitus,
Offuſasqué vafris ingeniis faces,
Et certamina Curiæ.

Ah? non eſt Statuas relligionibus
Qui doctis ſtatuat, quiqué Animis litet
Muſas grande, Deos grande tonanti-
bus:
Spiraſses diu in æribus.

Rides

Rides hæc graviter symbola gloriæ,
Fastidis: animus nauseat, eccui
Nil terrestre sapit: potus ab ubere
Cœli, cœlica combibit.

Hic jam tensa fides deserit & manum
Et plectrum. Taceat Musa, monet rudis
Nutu Simplicitas, atqué ait: Accidit
Vatum pingve sonantium

Ut fucus lateat, nudiùs eloqui
Fert natura mihi. Secula noscite: Js
Doctor Matris honor, Flos Venerabilis
Florum: Virqué rotundus, &

Frugi, perque teres: non honor aut vigor
Jnflat mentis Eum: lucra cavet Rei
Divinæ: vehemens & facilis: doli
Hostis: relligisior

Aris

Aris: & tener & candidus, & sagax,
Paucis: Cor Sapiens in Pio Ocellulo:
Cordi fortè meus desipiet macror,
Pax! si grata fides sapit.

O D E III.

Ad Illustres Clarissimos & admodùm Reverendos Dominos Examinatores;
Illustrem & Admodùm Reverendum Dominum
D. M. FRANCISCUM KOLENDOWICZ
Facultatis Philosophicæ intereà DECANUM;
Illustrem & Admodùm Reverendum Dominum
D. M. ANDREAM SLECZKOWSKI
nunc S. Th. Professorem, protunc Phiæ Drēm ac Tylicianum Eloquentiæ Professorem, CANONICUM S. FLORIANI.
Illustrem & Admodùm Reverendum Dominum
D. M. JOSEPHUM SZABEL
Matheseos Professorem; Regios REGENTES, Collegas Majores, S. ANNÆ PRÆLATOS distinctîs titulîs honorandos Viros;
in perpetuum officiosissimæ voluntatis testimoniū.

Pars truces Martis Domini furores,
Allinit chartæ necibûs cruentos:
Pars metro tristes elegos, vel unctos
Mandat amores.

His

His levî, cordi ſedet, ire ſoccô
Fulcit aſt illos gravior cothurnus,
Jſtius mordax calamus profana
Menda flagellat.

Hic levat mentes ſalibûs recoctîs
Mole curarum gravidas, & alter
Ambit, Heroum vegetat vel ipſo
Metra calore.

At mei plectri decor & voluptas
Vos mihi: Veſtræ mea mancipata
Barbitos laudi, ô pretiosiora
Lumina Matris!

Te KOLENDOVI; Pia Stirps & almũ
Palladis Germen, ſtupet & tuos, &
Lene demiſſos veneratur ipſa
Purpura vultus.

Nube

Nube virtutis quoties modestæ
Purpuræ doctos tegeres honores
Tecta sed virtus oculos nitore
Gratiùs ursit.

Tu satìs dives probitatis hæres
Patruæ, pulchros coquis in medullis
Ambitus, hîs ut triplices aviti
Lumen honoris.

Educas ipsis oculis patentem
Et sui doctis Animam profusam
Usibus, cujus locuplete ditas
Pectora venâ.

Vindicas priscæ placita alta Stoæ,
Vindicas & quæ nova gignit ætas:
Sic novam Musam Veteri rebellem
Fœdere jungis.

Literaturæ Speculator acer
Assides: æqua trutinando lance
Deneges Virgam cui, quemque digno
Stigmate plectas.

Æmulæ Divis monumenta Mentis
Mentibus, multos venerata Soles
Jam Tibi fructus pariunt, & almæ
Semina laudis

Jacta maturant habitura messem,
Laudis exceptus teneris in ulnis
Dum trahet rugas Honor almus & Te
Conferet astris.

ANDREÆ sacrum, mea Musa, perge
Osculò pactô penetrare pectus,
Hauries illic paritura dulces
Nectaris imbres.

Jllius Musis veneranda Cordis
Aula sacrati patet: hæret illi
Pallas & Svada & Charites profusæ &
Pulcher Apollo.

Flosculos velox ibi carpe furtim,
Queîs apis ritu nimiæ laboris
Hoc Virô dignum solidumq; succo
Carmen opimes.

Aureos caræ populare nervos
Jndolis: largi satur ore pleno
Eloquiì venas bibe: & ossa, & ipsam
Pasce medullam.

Collige & sacròs pia Membra fusos
Impetus, fotos placido calore
Spiritus libans: Animamquè vasta
Numine plenam.

Sic apis florum populata fibras,
Jnnocens: tu sic redeas onusta, ut
Rideat Vir te innocuô vafram di-
tescere furtô.

Quo SZABEL virtus patiens laboris;
Quové Mens Aulam superam perer-
rans
Et polis leges statuens colenda
Laudis honore.

Callidè torti cava strata Cœli,
Solis & Lunæ subitos labores,
Siderum gyros dubios statosqué
Atqué retrorsos,

Corporum horrendùm facies cru-
entas,
Perqué totius fabricæ stupenda
Nosse, quid majus? tamen hæc re-
truso
Pectore claudit.

An minas Cælum dabit, an beatæ
Dona fortunæ pluet, & theatra
Quanta ſtellarum didicit diſertè
Palpebra judex.

Jnvidus JOSEPH Superis videre
Præſcio ſortis dum oculo futuræ
Jmperas aſt is adamante cusa
Fata Deorum.

At quis auguſtæ monumenta famæ;
Quis Viros magnas Animas in ipso
Conſcios vultu retinere, dignè
Scribat & ornet?

Nos quidem gratam celerare Muſam
Juſsimus cenſum obſequii, ſed illa
Ponderi cedens ſtupet, & ſtat ipso in
Limine laudum.

DECUS LITERARIUM

XI. VV. DD. in AA. LL. & Philosophia
Licentiatorum
Eruditi pretiô sudoris

P A R T U M.

I. V. D. HYACINTHI LEKCZYNSKI.



Stemma: Fascia
candida nodô in-
tra orbẽ efforma
tô, & ex- tremis
utrinque proten-
sîs. vulgò *Nałęcz:*
Cum lemma
te: *ornat*
honoris *onus.*

Purpureos quondam capitis simulabat honores
Fascia, nunc doctum digna ligare caput.
Arctior hanc nodus compescit in orbe receptus:
Mentis nervosæ verba rotunda notat.
Et ne sortis eat faustæ dubio rota cursu,
Fascia stringat eam nutibus esse Tuis

II. V.D. JOANNIS LITWINSKI

Col. Vid. Directoris.

Stemma: in Urso, altera sagittam infixam, coronam: lemma- tura tri-




Virgo tenens manu cordi alterâ Cum te: *pari- umphos.*

Pax an bella fremunt dum Virgo trucem domat ursum?
Et belli & pacis sunt simulacra puto.
Jam pax alma viget: Tibi post certamina docta
Virgineâ dextrâ pulchra corona datur.
Bella calent, quæ instant vario cum Palladis hoste,
Quem sicut superes fixa sagitta docet.

III.

III. V. D. VINCENTII SZASTER



Stemma Avitum:
Tres aleæ in
obliquum disposi-
tæ. Cum lemma-
ta: *Sor-tes in*
Manibus Domini.

Alea si vetita, ùt graviter monumenta perorunt
Sacra, quid hæc ergo nobile ſtemma facit?
Palladis in ludo feliciter alea jacta: at
Ludere cum Musis Pagina ſacra favet.
Aleam & Aſtra probant, quam Tecum Palladè Phoebus,
Pro doctis docuit ludere ritè lucris.


IV. V. D. ANTONII
SZASTER
Scholæ Archipresbyteralis B. V. M. Senioris.

Stemma Avitum:

Eædem tres aleæ

Cum lemmate:

Ex lege casuræ.



Audeat haud aliquis Tecum contendere forte,
Dum plena facie tesſera trina jacet.
Teſsera trina, quadrata jacet, Te nonné figurat,
Rectè compositis moribûs eſse Virum?
Sors eadem cum Fratre Tibi: quia lusus honoris
Jdem Palladii, teſsera signat idem.

V. V. D. JOSEPHI
KROMER

Stemma: Aquila
dimidia- ta, coro-
nam col- lô ge-
ſtans in ſuperi-
ore cam- po; in
inferiore baltheus



Cum lemma-
te: *Parte mei ſuper*
aſtra nitar

Regia tollit avis volueres sub sidera pennas:
  Virtutis nidos indicat eſse Polum.
Florentem portat collum redimita coronam:
  Jngenio merces convenit iſta Tuo.
Baltheus heroas Animas cingit: Tua docta
  Mens nunquam pretiô deſtituenda ſuô

VI.

VI. V. D. VINCENTII KARCZEWSKI

Stemma Gentilitium: Clavis aurea.
vulgò *Jasienczyk*.
Cum lemmate: *non usibus apta profanis*



Aurea sidereas dum clavis respicit arces,
Te jus ad cœli monstrat habere lares.
Janua quanquam aliis claudatur Honoris ad aedem
Hæc studiis debet totá patere Tuis.
Noverit hanc reserare Tibi solidissima clavis,
Æstu sudoris quæ fabricata Tui.

VII.

VII. V. D. ANTONII FIDOWICZ

Stemma: Fluvius
cruce si- gnatus.
Cum lemma-
te: *Vi- gor in-*
de vi- rorquē.



Multa vomant auri pretiosas fl-mina venas:
Credo Tuum vivas volver-mentis opes.
Dulcia Castalidum properan potare fluenta,
Ardebit, tinctus flumi-s hujus aquis.
Dum fluvium præcelsa c-cis monumenta coronant,
Jndolis esse nequit-aufraga cymba Tuæ.

VIII.

VIII. V. D. STANISLAI
S T O C K I

Stemma Avitum:
clavis aurea dimidiô
murô cincta.
Cum lemma-
re: Pretium ex
utili- tate.



Jure Tibi meritos promittit clavis honores:
Thesauros animi pectore claudis opes,
Quas si per varios lege prodegeris usus,
Ditesces: clavis fructus & usus erit.
Ne verò spoliis pateant hos mentis iniquis:
Murus tutelam præsidiumque dabit.

IX. V. D. JOANNIS POLACZKIEWICZ

Stemma:  Luna, cui
imminet stella:
Cum lemma-
te: *ma-gis splen*
det ad-aucta.

Purius ac oculis effundit lumen amicum
  Cynthia: Te placida luce nitet notat.
Tollitur hæc sursum, cornuquè superbit acuto:
  Tu ferris suprà aciè interiore Tui.
Stella præit Lunæ: præeat tibi lumen honoris
  Jrradiaturum Tequé gradusqué Tuos.

X. V. D. LAURENTII
Kruczyn de Łoiowce
ŁOIOWSKI

Stemma Genti-
litium: Crux
Militum Eque-
ſtris Or-dinis; vul-
gò *Kru-czyn.*
Cum lemma-
te: *vi-ctrix*
gloria militat.



Sævos ſæpe preſtas miſcet fortuna tumultus
Humanas torquens axe rotante vices.
Tu Crucis armatus clypeo non illius ictus
Formida: notat hæc, certa trophæa Tibi.
Stellæ lux adjuncta Cruci, tum lumina mentis
Nuntiat egregiæ, tum quid ab axe Poli.

XI.

XI. V. D. JOANNIS STANOWSKI



Stemma: Leo geſtans tres monticulos cum ſtella uno pede, altero tenet roſam: Cum lemmate: *ut ludicra temnit.*

Stemma Tuum quicunque videt, mox arguit ingens
Heroæ mentis robur ineſse Tibi.
Montes ungue domat leo luce roſâqué nitentes:
Clara, notat lux, mons ardua, pulchra, roſa.
Ut tutus peragas tranquillæ tempora, vitæ,
En ſpeculator erit nocte dieque leo.

Ad M. D. Gloriam.